
De Thucydidis Prooemio Dissertatio - Haus-
dörffer, 1835


VE RI
TAS

DE

THUCYDIDIS PROOEMIO

DISSERTATIO.



SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

Herm. C. F. F. Hausdörffer,

Zorga-Brunsvicensis.

GOTTINGAE,

EX OFFICINA HENRICI CAROLI SEEMANN.

MDCCCXXXV.

Trans. from
D. S.
June 7, 1881.

VIRO

DOCTISSSIMO, CELEBERRIMO,

MERITISSIMO

CAROLO HENR. MÜLLER,

PROFESSORI, GYMNASII BLANCOBURG. RECTORI,

PRAECEPTORI PIE COLENDO SEMPER

AC CULTO

D. D.


HERMANN HAUSDÖRFFER.

PRAEFATIO.

Qui in Graecorum auctoribus recte intelligendis facultates suas cogitandi, judicandi, concludendi exercere student, atque in universum studia sua ad antiquitatem conferunt, iis Thucydides prae ceteris in deliciis est habendus. Scriptores classicos quos dicimus ut generatim animi et vigore atque sincera veritate praelucent, ita etiam ut recte eorum monumenta intelligamus et explicemus quam maxime enitendum est. Inter graecae antiquitatis scriptores nullus fere alius ad ingenium juvenile aliqua jam aetate corroboratum excolendum et acuendum magis idoneus est, quam Thucydides. Eminet enim singulari cogitandi acumine, mens

suarum virium, ut ita dicam, sibi conscia est iisque laetatur, quibus adjuta maxima cum subtilitate atque acie vera a falsis discernere possit. Neque vero ob id tantum, ut animi vires exerceamus augeamusque Thucydides maxima cum cura et diligentia nobis legendus videtur; nam argumentum quoque, quod opere suo exsequitur, perfectam dilucidamque nobis reddit imaginem eorum antiquitatis temporum, ubi res graecae ad ultimum discriminis venerunt, ita ut diversi Graeciae populi quibus in rebus maxime distulerint et quae unius cujusque fuerint ingenia ac studia facillime nobis appareat. Nec minus admiranda videtur ratio, qua hanc materiam Thucydides tractavit. Nullum ante eum historicum tam magno veri studio ductum scimus, ita ut Thucydides is esse videatur, a quo novum historiae conscribendae genus natum sit, cum omnes ante vera a falsis dijudicandi artificio facile vicerit. Quare factum est, ut huc usque nullus Thucydidis artem historicam assecutus sit. Sed haec ars quum e nulla Thucydidis operis parte tam clare elucere mihi videatur, quam e prooemio (Lib. I. c. 1–23 usque ad verba ταῦτα γὰρ πάντα κ. τ. λ.), tentare mihi propositum est, si quid accuratius de Thucydidis

prooemio notitia dignum exhibere possim. Verumtamen tam longissime absum, ut literis hac commentatione aliquantum me profuisse statuam, ut quantumcunque ego inde perceperim fructu contentus sim. Quae cum ita sint, illud argumentum satis idoneum habui, in quo quantos progressus in literis graecis fecerim probem, cum Thucydides plane intelligi profecto non sine multo labore et sudore possit. Nec poenituerit me operae, nec mihi videbor frustra navasse operam et spe laetissima implebitur animus, si iis viris clarissimis academiae Georgiae Augustae, qui mentem meam exquisita doctrina excoluerunt, commentatio mea haud plane indigna visa fuerit. Anteaquam vero de prooemii historia dissero, operae pretium est, in prima hujus commentationis parte de locis nonnullis, qui huc usque non satis accurate explicata esse videntur et in quibus explicandis viri docti in diversas sententias discedunt, meam quoque sententiam proferre. Nam quum totum Thucydidis opus difficillimis locis scateat, prooemium prae ceteris interpreti tantum difficultatis offert, ut saepenumero nisi summa animi contentione in auctoris sensum penetrare non possit. Quem ad finem ut


VE RI
TAS

DE

THUCYDIDIS PROOEMIO

DISSERTATIO.



SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

Herm. C. F. F. Hausdörffer,

Zorga-Brunsvicensis.

GOTTINGAE,

EX OFFICINA HENRICI CAROLI SEEMANN.

MDCCCXXXV.

Trans. from
D. S.
June 7, 1881.

VIRO

DOCTISSSIMO, CELEBERRIMO,

MERITISSIMO

CAROLO HENR. MÜLLER,

PROFESSORI, GYMNASII BLANCOBURG. RECTORI,

PRAECEPTORI PIE COLENDO SEMPER

AC CULTO

D. D.

HERMANN HAUSDÖRFFER.

PRAEFATIO.

Qui in Graecorum auctoribus recte intelligendis facultates suas cogitandi, judicandi, concludendi exercere student, atque in universum studia sua ad antiquitatem conferunt, iis Thucydides prae ceteris in deliciis est habendus. Scriptores classicos quos dicimus ut generatim animi et vigore atque sincera veritate praelucent, ita etiam ut recte eorum monumenta intelligamus et explicemus quam maxime enitendum est. Inter graecae antiquitatis scriptores nullus fere alius ad ingenium juvenile aliqua jam aetate corroboratum excolendum et acuendum magis idoneus est, quam Thucydides. Eminet enim singulari cogitandi acumine, mens

suarum virium, ut ita dicam, sibi conscia est iisque laetatur, quibus adjuta maxima cum subtilitate atque acie vera a falsis discernere possit. Neque vero ob id tantum, ut animi vires exerceamus augeamusque Thucydides maxima cum cura et diligentia nobis legendus videtur; nam argumentum quoque, quod opere suo exsequitur, perfectam dilucidamque nobis reddit imaginem eorum antiquitatis temporum, ubi res graecae ad ultimum discriminis venerunt, ita ut diversi Graeciae populi quibus in rebus maxime distulerint et quae unius cujusque fuerint ingenia ac studia facillime nobis appareat. Nec minus admiranda videtur ratio, qua hanc materiam Thucydides tractavit. Nullum ante eum historicum tam magno veri studio ductum scimus, ita ut Thucydides is esse videatur, a quo novum historiae conscribendae genus natum sit, cum omnes ante vera a falsis dijudicandi artificio facile vicerit. Quare factum est, ut huc usque nullus Thucydidis artem historicam assecutus sit. Sed haec ars quum e nulla Thucydidis operis parte tam clare elucere mihi videatur, quam e prooemio (Lib. I. c. 1–23 usque ad verba ταῦτα γὰρ πάντα κ. τ. λ.), tentare mihi propositum est, si quid accuratius de Thucydidis

prooemio notitia dignum exhibere possim. Verumtamen tam longissime absum, ut literis hac commentatione aliquantum me profuisse statuam, ut quantumcunque ego inde perceperim fructu contentus sim. Quae cum ita sint, illud argumentum satis idoneum habui, in quo quantos progressus in literis graecis fecerim probem, cum Thucydides plane intelligi profecto non sine multo labore et sudore possit. Nec poenituerit me operae, nec mihi videbor frustra navasse operam et spe laetissima implebitur animus, si iis viris clarissimis academiae Georgiae Augustae, qui mentem meam exquisita doctrina excoluerunt, commentatio mea haud plane indigna visa fuerit. Anteaquam vero de prooemii historia dissero, operae pretium est, in prima hujus commentationis parte de locis nonnullis, qui huc usque non satis accurate explicata esse videntur et in quibus explicandis viri docti in diversas sententias discedunt, meam quoque sententiam proferre. Nam quum totum Thucydidis opus difficillimis locis scateat, prooemium prae ceteris interpreti tantum difficultatis offert, ut saepenumero nisi summa animi contentione in auctoris sensum penetrare non possit. Quem ad finem ut

quam proxime perveniamus, jam initio prooemium recte est percipiendum et explicandum. Quam ob rem hanc commentationem in duas partes dividere placuit. In prima parte de locis nonnullis recte interpretandis, in secunda vero de historia in Thucydidis prooemio exhibita disseram.

PARTICULA I.

Cap. I. „Ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων."

Herm. ad Vig. p. 718 et Matth. Gr. §. 464, quos sequitur Poppo ad Thuc. I. 1. p. 172, ejusmodi locos, ubi superlativum cum genitivo nominis conjunctum videmus, ita interpretantur, ut superlativus comparativi locum obtineat. Quum autem omnino unam vocem pro altera esse usurpatam opinio sit, quae semper fere in dubium vocanda est, nostro loco haec interpretatio non accommodata videtur, quoniam omnia e Thucydide aliisque scriptoribus exempla hujus generis infra allata meae sententiae, quae sequitur, apta sunt. Nec minus ea interpretatio ab iis amovenda videtur, qua hic genitivus apud superlativum partitivus est; nam omnia exempla infra laudata sunt ejusmodi, ut superlativus notionem, quam genitivus in se continet ut ad priora tempora pertinentem non amplectatur. Quibus rebus accurate perpensis, haec ego interpretor: *genitivis cum superlativis non alio modo scriptores classicos uti, atque genitivis cum comparativis.* Nam mihi non liqueret, cur in lingua graeca genitivus rei, quae comparatur, solummodo apud comparativum usurparetur, quandoquidem etiam superlativus comparationem in se habet, atque difficile intelligitur, quae causae prohibeant, quominus

genitivo rei, quacum compratur superlativi notio, uti possimus? Etenim latinae linguae usum, quae arctioribus finibus circumscripta ablativum solum apud comparativum habet, in linguam graecam transferre non licet. Itaque *genitivus apud adjectivum, cui comparatio inest, sive in comparativo, sive in superlativo, adest, ut rem, quacum comparatur hujus adjectivi notio, addat.* Quare nostrum locum ita interpretari conatus sum: „der merkwürdigste krieg im vergleich mit den frühern." Neque aliter explicari posse mihi videntur hi loci: Hom. Il. VI, 295, *ὁ πέπλος, ὃς ἔκειτο νειάτος ἄλλων.* Thuc. I, 10, *νομίζειν δὲ εἰκὸς τὴν στρατείαν ἐκείνην μεγίστην γενέσθαι τῶν πρὸ αὐτῆς.* Ib. I, 11, *ταῦτα ὀνομαστότατα τῶν πρὶν γενόμενα.* I, 50 *ναυμαχία αὕτη Ἕλλησι πρὸς Ἕλληνας νεῶν πλήθει μεγίστη δὴ τῶν πρὸ αὐτῆς γεγένηται.* V, 60, *στρατόπεδον γὰρ δὴ τοῦτο κάλλιστον Ἑλληνικὸν τῶν μέχρι τοῦδε ξυνῆλθεν.* VI, 13, *μέγιστον τῶν πρὶν κινδύνων.* VI, 31, *παρασκευὴ γὰρ αὕτη πολυτελεστάτη δὴ καὶ εὐπρεπεστάτη τῶν ἐς ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐγένετο.* Aesch. Eumen. 30, *καὶ νῦν τυχεῖν με τῶν πρὶν εἰσόδων μακρῷ Ἄριστα δοῖεν.* Soph. Antig. 101, *κάλλιστον ἑπταπύλῳ φανὲν Θήβᾳ τῶν πρότερον φάος.* Ib. 1212 *ἆρα δυστυχεστάτην Κέλευθον ἕρπω τῶν παρελθουσῶν ὁδῶν.* Horumque similia exempla affert Matth. Gr. l. c.

Cap. I. „*Κίνησις γὰρ αὕτη μεγίστη δὴ τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο, καὶ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων, ὡς δὲ εἰπεῖν, καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων.*"

Haec verba in linguam vernaculam plerumque ita vertuntur et intelliguntur, ut *ἐπὶ πλεῖστον* (quod

alias semper fere apud Thucydidem pro adverbio habendum est) hoc loco substantivum sit, secundum quod hujus loci sententia talis est: *„dies war die grösste bewegung für die Hellenen und für einen theil der barbaren, ja man darf sagen, für den grössten theil der menschen."* Leges quidem linguae hanc interpretationem non repudiant, cum Thuc. alias quoque, ut I, 17, ἐπὶ πλεῖστον substantivo utatur, ut primo legens hunc locum hac ratione facile intellexerim, quamvis articulum τὸ ante πλεῖστον desideraverim. Quum tamen singulas enunciationis partes nobiscum reputamus, atque id praesertim, quod Thucydides tum eloqueretur, accurate perpendimus, hic sensus sine dubio nobis displicebit; et quoniam ἐπὶ πλεῖστον multo saepius in usu adverbii invenitur, sine causis non refutandis hunc usum non demittimus. Quod attinet ad nostrum locum, illa plurimorum interpretatio fert sententiam, quam Thucydides verorum studiosus pronunciare voluisse mihi non videtur. Etsi enim Thucydidem pro suis temporibus non permagnam orbis terrarum cognitionem habuisse non est infitiandum, major tamen haec ejus cognitio fuit, quam ut dicere potuerit, *bellum Peloponnesiacum plurimis hominibus maximum motum fuisse.* Hoc quidem bellum non gestum est inter duas tantum civitates, Athenas et Spartam, verum etiam omnis Graecia hujus belli particeps fuit, cum alii cum Atheniensibus, alii cum Spartanis societatem inirent. Participes hujus belli fuerunt Sicilia Graecorumque in Asia coloni, et e barbaris Persae, Thraces atque alii Graeciae finitimi populi. Fuit igitur hoc bellum maximus Graecorum motus, attamen nullo modo *plurimis* hominibus *maxi-*

mus motus dici potest; nam immensum Persarum regnum, ut exemplo utar, a bello Peloponnesiaco in extremis tantum finibus leviter attingebatur. Qua causa commotum me sentio, *ut hoc loco ἐπὶ πλεῖστον pro adverbio habeam et ut ἀνθρώπων* e voce *κίνησις pendere faciam.* Non enim obstat, quod genitivus et paullo antea dativus (τοῖς Ἕλλησι) pendent e *κίνησις*, quum dat. eos significet, qui proxime atque per se motu affecti sunt. Proprie est *ἐπὶ πλεῖστον meistentheils*, quod maximam habet affinitatem cum *im allgemeinen, überhaupt.* Nam quod Poppo dicit, *ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων* comparandum esse cum Latinorum *longissime gentium,* nulla ratione probatur. Atque ita totius loci summam in linguam vernaculam sic verto: *dies war die grösste bewegung für die Hellenen und für einen theil der barbaren, ja man darf sagen, überhaupt die grösste bewegung unter menschen,* sive *die grösste menschliche bewegung.*

Cap. II „*τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί.*"

Osiander vertit *γοῦν contra,* quod maximo jure vituperavit vir doctus in Ephem. Jen. a. 1828 nro. 155, quum talis sententia huic voci omnino non insit et totius loci sensum non possit non pervertere. *Poppo* autem *γοῦν* nihil aliud esse posse, quam *quidem certe, wenigstens* putat; qua tamen ratione cohaerentiae speciem alienam noster locus praeberet; nam inde appareret, Thucydidem ex parte de sua sententia decedere

neque certo de ea sibi persuasisse, antequam vero sententiam omitteret argumento eam firmare conatum esse. Ex meo judicio γε non semper continet nostrum *wenigstens*, neque excludit, sed ita tantum distinguit, ut id, quod distinguitur, eminere ante alia significetur, et id exprimit, ut inter plures ejusdem generis res animum ad unam earum prae ceteris advertamus. Cf. Herm. ad Vig. p. 824. Ubi igitur γε cum οὖν, quod significat, id, quod sequatur, ex antecedentibus proficisci, conjungimus, γοῦν *indicat, id quod afferatur ante cetera ex antecedentibus effici.* Sensus ergo nostri loci hic est: *demzufolge* (quum soli pinguis terrae incolas saepius mutarent) *bewohnten Attika zumal immer dieselben menschen.*

Cap. II „ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος οἱ πολέμῳ ἢ στάσει ἐκπίπτοντες παρ' Ἀθηναίους οἱ δυνατώτατοι ἀνεχώρουν" κ. τ. λ.

Poppo et Goellerus ἐκπίπτοντες οἱ δυνατώτατοι esse dictum pro τῶν ἐκπιπτόντων οἱ δυνατώτατοι, Matth. Gr. §. 319 laudantes, putant. Attamen exempla illa a Matth. l. c. allata ad nostrum locum male spectare videntur. Praeterea autem Thucydidem talem sensum in animo habuisse persuasum non habeo. Thucydides, quod summa sententiarum ostendit, minime demonstrat, *potentissimos ex profugis in Atticam venisse.* Quae enim causa esset, ut hoc diceret? Hic sensus cum ceteris non bene cohaeret; cujus negligentiae Thucydidem convincere non possumus. Sed mihi persuasum est, hocce ita intelligendum: *expulsi, qui fuerunt*

potentissimi et detissimi, venerunt in Atticam. Namque divitiis potentiaque Graeciae terras insignes plurimos motus ab iis, qui pauperiores fuerint, expertas esse, atque divites et petentes homines ab illis expulsos esse Thucydidis nos docet, unde consequitur ea Thucydidis sententia, e patria profugos potentissimos et ditissimos fuisse eorumque opes pauperiores appetiisse.

Cap. III. Thucydides Graecos ut communi studio et auxilio res gererent se conjungere non potuisse censet; cujus tamen sententiae argumentum in sequenti enunciatione inesse negaverim; nam etiam post bellum Trojanum per longum temporis spatium Graecorum historia nullam rem foedere junctos Graecos gessisse novimus. Sed τόδε hoc loco spectat ad totam prooemii partem usque ad cap. 9, quae statum Graeciae antiquitus ante bellum Trojanum adumbrat, et justum Thucydidis sententiae argumentum in eo est, quod Graecia ante bellum Trojanum terra marique λῃστείᾳ vexaretur. Atque ea, quae de Graecorum nomine Ἕλληνες Thucydides disserit, tali digressioni, qualem legimus (cap. 6) de Graecorum vestimento, haud dissimilia sunt. Nam Graecos et sine nomine communi res societate quadam junctos perficere potuisse, bellum Trojanum ipsum satis approbat.

Cap. VI „ἐν τοῖς πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι τόν τε σίδηρον κατέθεντο" κ. τ. λ.

Matth. Gr. p. 583 locutionem ἐν τοῖς *superlativo* vel adjectivo πρῶτος additam vim eorum augere pu-

tat eamque convenire cum Latinorum *ut qui maxime.* Cf. Herm. ad Vig. p. 787. Bernh. Synt. p. 311. Quoniam tamen ad locutionem ἐν τοῖς, quippe quae cum superlativo, qui saepius alius generis est, non conjungenda sit, ex sequentibus aliquid supplendum videtur, ut nostro loco καταθεμένοις, in contrariam sententiam discedens, *locutionem ἐν τοῖς vim sequentis superlativi imminuere et cum nostra mit am ersten legten die Athener die Waffen ab similitudinem quandam habere contenderim.*

Cap. X „καὶ ὅτι Μυκῆναι μικρὸν ἦν ἢ εἴ τι τῶν τότε πόλισμα νῦν μὴ ἀξιόχρεων δοκεῖ εἶναι, οὐκ ἀκριβεῖ ἄν τις σημείῳ χρώμενος ἀπιστοίη μὴ γενέσθαι τὸν στόλον τοσοῦτον, ὅσον οἵ τε ποιηταὶ εἰρήκασι καὶ ὁ λόγος κατέχει."

Interpretes a vero hoc in capite explanando aberrasse mihi videntur. Thierschius in Act. phil. Mon. tom. III. p. 281 putavit, quam Thucydides contra vulgi opinionem tueri studeat sententiam hanc fuisse, *ὅτι Μυκῆναι μικρόν ἦν*, idemque de reliquis urbibus, quae tunc fuerunt, valere. Jam vero induci eos, qui de ea re dubitent, non tamen justo usi argumento: οὐκ ἀκριβεῖ ἄν τις σημείῳ χρώμενος ἀπιστοίη, ὅτι Μυκῆναι μικρὸν ἦν, nempe hoc argumento: μὴ γενέσθαι τὸν στόλον τοσοῦτον. Vult igitur hanc sententiam fuisse Thucydidis: *Mycenas fuisse parvas qui dubitet, infirmo argumento utatur hoc, non tantam, si Mycenae parvae fuissent, futuram fuisse illam expeditionem Trojanam, quantam et poetae describunt, et*

fuisse fama oblinet. At hoc Thucydides probare non sibi proposuit, Mycenas fuisse parvas. Huic igitur explicationi praeferenda est altera, quam ceteri viri docti sequuntur: *quod autem Mycenae parvae fuerunt, et si quod aliud ejus aetatis oppidum nunc exiguum videtur, infirmo illo argumento utatur, qui inde non tantam fuisse expeditionem Trojanam efficere velit, quantam vel poetae describunt, vel fuisse fama obtinet.* Putant igitur interpretes, Thucydidem pro sententia sua, bellum Trojanum cum bello Peleponnesiaco comparari non posse, quam ipse postea exsequi velit, hic argumentum afferre, quo quis facile, quamvis falso, uti possit, *Mycenas fuisse parvas.* Inde colligatur, *cum reliquis ἀπιστίαν Thncydidi esse communem, argumentum tamen huic ἀπιστίᾳ, quod Mycenae parvae fuerint, eum repudiare.* Τὸ σημεῖον οὐκ ἀκριβές, de quo sermo est, secundum hancce interpretationem continetur in verbis ὅτι Μυκῆναι μικρὸν ἦν, et id, quod inde sequitur, est μὴ γενέσθαι τὸν στόλον τοσοῦτον.

Jam vero contra hancce interpretationem multa mihi monenda sunt. Primo enim sequentes hujus capitis argumentationem medio in capite verba legimus οὔκουν ἀπιστεῖν εἰκός, *ideo nihil est, quod increduli simus,* νομίζειν δὲ κ. τ. λ. Hoc vero ἀπιστεῖν quin revocemus ad ἀπιστοίη primae capitis enunciationis facere non possumus atque utroque loco eundem sensum exprimere accipiamus; quo efficitur, Thucydidem non modo ἀπιστίας argumentum, sed etiam ἀπιστίαν *ipsam* respuere. Deinde interpretationi illi ratio, qua Thucydides τὸ σημεῖον *non esse* ἀκριβές exemplo Lacedaemonis probare studet, non apta est.

Namque si dicere voluisset, quod Mycenae parvae fuerunt, non est argumentum, expeditionem Trojanam non tantam fuisse, ita ei pergendum fuisset: nam Lacedaemon quoque, cum aliis urbibus comparata, parva est, verum tamen potentissima. Quod fingit Lacedaemonem dirutam, foret non modo supervacaneum, sed etiam turbaret. Denique vero cum sententia, quam interpretes expromunt, vocabulum σημεῖον non convenit. Nam quia Mycenae parvae fuerunt causa interna, τεκμήριον, expeditionem exiguam fuisse, neque tamen σημεῖον, externa causa, nominari potuit. *Id tantum, quod redundat ex aliqua re σημεῖον causae, a qua quid profectum esse dicimus, nominandum est, nequaquam tamen causa ipsa est σημεῖον iis, quae inde efficiuntur.* Quae cum ita se habeant, alius hujus loci sensus anquirendus est.

Ex illis verbis supra laudatis οὔκουν ἀπιστεῖν εἰκός-νομίζειν δὲ τὴν στρατίαν ἐκείνην μεγίστην γενέσθαι τῶν πρὸ αὐτῆς apertissime patet, Thucydidis menti obversari homines, qui expeditionem Trojanam, quia poetarum laudibus supra modum elata sit, valde exiguam a praedonibus tantum susceptam putabant; a quorum sententia Thucydides quam longissime abest, et quibus in contrariam sententiam discedens atque non tam exiguam fuisse hancce expeditionem contendens se opponit. Postea quidem Thucydides ipse, poetas res Trojanas aliquantum exornasse atque auxisse concedit, neque tamen in hujus capitis exordio hoc dicere jam habuit in animo, quia alioquin totam hanc enunciationem alio modo atque aliis verbis expressisset; sed hic ante oculos ei obversantur duae illae sententiae,

altera eorum, qui Graecorum res in Trojam gestas valde elevarent, altera, qui poetis hac in re majorem fidem haberent; ex quibus sententiis Thucydides secundae magis sese adjungit, atque tota haec argumentatio eo redit, ut bellum Trojanum etiam ex iis, quae Homerus et fama de eo laudaverint multo minoris quam bellum Peloponnesiacum fuisse momenti demonstret: attamen ne hoc quidem loco contendit Thucydides, bellum Trojanum a poetis supra modum elatum esse.

Thucydides repudiat igitur belli Trojani obtrectatores (quos utrum Thucydides, qui hanc concludendi rationem fortasse in universum cognoverit, tantum in animo fingat, an historicos quosdam in animo habeat, in medio relinquam) eo, quod argumentum, quo inniterentur, male sufficiens esse ostendit. Nunc autem quaerendum videtur, quid sit Thucydidis τὸ σημεῖον, quidque inde proficiscens, τὸ σημειούμενον. Thucydidem in prima enunciatione non satis dilucide loquentem longius sequamur oportet, ut videamus, quomodo in exemplo a Lacedaemone repetito demonstrare conetur, ejusmodi σημεῖον, quod illi a Mycenis praeberent, minime probandum esse. Dirutam sibi fingit Spartam, quae fuit urbs, cujus ratio, qua erat constructa, probat, exiguas tantum ruinas et moles eam relicturam esse; multo deinde post excidium ad locum, ubi urbs Spartae floruerat, aliquem venientem, cum exiguas ruinas adspexisset non crediturum hancce urbem quondam tantopere invaluisse. Quid foret igitur tunc τὸ σημεῖον? urbs post devastationem, *ejus ruinae;* et id, quod inde colligeretur, τὸ σημειούμενον, foret sententia, *Spartam habere non potuisse tantam potentiam;* quo erg

pateret, tale σημεῖον non esse ἀκριβές. Quod argumentum cum ad Mycenas accommodemus, uti accommodetur oportet, etiam tum τὸ σημεῖον, de quo Thucydides dicit, Mycenarum ruinae sunt et id quod belli Trojani obtrectatores inde concludere posse putant, τὸ σημειούμενον, est, Mycenas ceterasque urbes veteres tam potentes non fuisse, quo sequitur, ex hisce urbibus expeditionem exiguam tantum proficisci potuisse. Secundum hanc interpretationem verba ὅτι Μυκῆναι μικρὸν ἦν non modo ex illorum animis, sed etiam eorum propria dicta repetita sunt, quo clarum fit, cur imprf. indic. hic usurpatum sit pro nostro perf. conj. Neque tamen id tantum mea hujus loci sententia efficitur, nam etiam verbo σημεῖον propria sua vis maxima cum subtilitate remanet; et totius loci versio omnia in lucem recte proferet: *und weil Mycene unbedeutend gewesen sei, oder welche der damaligen städte sonst jetzt unbeträchtlich zu sein scheint, so möchte wohl jemand, sich auf ein Zeichen, das aber nicht ausreichend wäre, stützend (nämlich auf den anblick, den die städte jetzt in ihrem zertrümmerten zustande gewähren) glauben, dass jener zug nicht so gar gross gewesen sei, wie ihn sowohl die dichter dargestellt haben, als ihn die sage bewahrt.*

Ea, quae sequuntur, se applicant verbo οὐκ ἀκριβεῖ, quod exemplo ficto illustratur. Et quod attinet ad sequentis argumentationis, quae generatim non est obscura, singulas partes, quaedam monenda mihi restant de verbis καὶ τῆς κατασκευῆς τὰ ἐδάφη. Quaeritur enim quid significet ἡ κατασκευή? Paullo infra legentibus nobis occurrit, Spartam non habere

ἱερὰ καὶ κατασκευὰς πολυτελεῖς, neque in dubium vocari potest, quin utroque loco Thucydidis eadem in animo notio fuerit, quocirca singularem numerum ἡ κατασκευὴ pro collectivo habemus. Quoniam vero κατασκευὴ proprie est *apparatus, exstructio*, fortasse aliquis sub κατασκευαὶ πολυτελεῖς magnifica aedificia, theatra, odea, porticus eorumque similia intelligere possit, quorum Athenae multis exornatae erant, idque eo magis, quod Thucydides jam hoc loco Athenas Spartae opponere voluerit. Igitur consentaneum erat, ea Spartae aedificia nominare, quorum potissimum magnificentia Athenae praelucerent; quae tamen tum erant maxime publica tantum aedificia; privata enim aedificia splendida Athenis etiam tunc temporis nondum aderant. Sed et hac ratione in magnam difficultatem incurrimus. Quamnam ob causam restare hic finguntur tantum τῆς κατασκευῆς τὰ ἐδάφη? Τὰ ἐδάφη nihil sunt nisi loca, quae aedificia tenuerant. Si Thucydides hoc loco spectasset aedificia illa magnifica, nihil erat, quod non restarent in eodem statu, quo templa, cum tamen, aedificiis hisce, quorum Sparta non multa eaque exigua habebat, relictis, maxime in promtu positum fuisset, oculis cognoscere, quantum Sparta Athenis differret; namque diruta illa aedificia is, qui τὰ ἐδάφη eorum tantum adspiceret, majora lautioraque sibi fingere potuisset, quam revera fuerant. Aliud quid igitur κατασκευὴν significasse putamus, atque hic dicitur tum de omnibus iis, quae domibus exornandis et instituendis inserviunt, tum pro domibus ipsis. Atqui et ita nova impedimenta se nobis objiciunt. Nam cum Spartae templa et loca

ubi aedificia fuerant, quorum ambitus inde adspectu cognosci poterant, superessent, magnitudo urbis accurate definire licebat, neque iterum intelligitur, quamobrem Thucydides urbem dirutam fingat, cum id tantum dicere opus fuisset, Mycenas quamvis parvas tamen potentes esse potuisse, Spartam enim quoque etsi non permagnam tot tamen opibus esse praeditam. Quod Sparta in ruinis minor apparuisset, Thucydidi dirutam eam fingere non licuit, quum e contrario majorem visam fuisse sumendum sit; namque Spartae ex antiqua urbes aedificandi ratione κατὰ κώμας constructae ambitus domorumque numerus major erat, quam frequentibus atque contracte conditis urbibus. Quibus ex causis statuerim, *verbis τὰ ἐδάφη hoc loco emphatice,* ut ita dicam, Thucydidem esse usum: *und von den privatwohnungen nur die plätze, die blossen plätze* i. e. von den gebäuden eigentlich gar nichts, funditus eversa aedificia finguntur.

Quod attinet ad locum sequentem, quem supra laudavi, πολυτελέσι et cum ἱεροῖς et cum κατασκευαῖς conjungendum est. Nam Sparta non erat exornata neque templis magnificis, quae etiam post urbem dirutam magnitudinem pristinam indicare potuissent, neque splendidis aedificiis privatis.

„*οὐδὲ τὰς ὄψεις τῶν πόλεων μᾶλλον σκοπεῖν ἢ τὰς δυνάμεις, νομίζειν δὲ τὴν στρατίαν ἐκείνην μεγίστην μὲν γενέσθαι τῶν πρὸ αὐτῆς, λειπομένην δὲ τῶν νῦν.*"

Ex illis a Thucydide exemplis allatis, unde hoc colligit, sequitur, eum sub αἱ ὄψεις τῶν πόλεων intelligere eum urbium adspectum, quem dirutae prae-

beant, et *αἱ δυνάμεις* illam esse potentiam, quam urbes integrae habuerint, quaeque cognoscatur ex historia. Sunt quidem quae sibi hic opponuntur notiones dispares, ut sibi opponi non posse videantur; sed Thucydidem antitheses valde amare easque saepius per vim attrahere satis notum est.

CAP. X. „περίνεως δὲ οὐκ εἰκὸς πολλοὺς συμπλεῖν ἔξω τῶν βασιλέων καὶ τῶν μάλιστα ἐν τέλει, ἄλλως τε καὶ μέλλοντας πέλαγος περαιώσεσθαι μετὰ σκευῶν πολεμικῶν, οὐδ' αὖ τὰ πλοῖα κατάφρακτα ἔχοντας, ἀλλὰ τῷ παλαιῷ τρόπῳ λῃστικώτερον παρεσκευασμένα."

Hujus loci difficultas inest participiis *μέλλοντας* et *ἔχοντας*, quas quidem facile appositiones esse cognoscitur; sed quaeritur, quamnam ad rem eae appositiones pertineant? Haud minus liquido apparet, nullum, si rem accurate adspexerimus, se offerre aliud verbum, ad quod referri possint, nisi *περίνεως πολλούς*, sed e contrario perspicitur, haucce relationem sensum non perinde apertum exhibere. Namque nimis artificiosa tantum atque contorta interpretatio foret, si ita haec verba in linguam vernaculam verterentur: *es ist nicht wahrscheinlich, dass viele, die keine ruderdienste thaten, mitfuhren, zumal da sie hätten über das meer fahren müssen mit kriegerischem geräthe und da sie die schiffe nicht verdeckt gehabt* (und also auch keinen platz gefunden) *haben würden.* Neque autem dubitari potest, quin Thucydides participia *μέλλοντας* et *ἔχοντας* non ad *πολλοὺς περίνεως*, quos una

cum ceteris navibus esse vectos non videbatur verisimile, *sed ad Graecos*, qui re vera Trojam navigaverant, referri voluerit, quorum tamen neque hoc in loco, neque in antecedente in universum mentio facta est. Hac igitur ratione hanc difficultatem nos vincere posse videtur, sumentes, Graecos quidem in universum non esse nominatos, sed περίνεως Graecorum fuisse partem, quamobrem haec participia, etsi grammatice cum περίνεως conjungenda sint, tamen per σχῆμα ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ad omnes Graecos referenda esse. Attamen huic sententiae id potissimum obstat eamque repudiat, quod Thucydides πολλοὺς περίνεως una cum ceteris navigasse negat, quare ii, qui una non navigarunt, non esse possunt in parte Graecorum, qui revera navibus Trojam petierunt. Quo efficitur ad hunc explicandum locum constructionem, quam vocant ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, non esse sumendam. Neque aliud quid restat, nisi ut plane singularem atque gravem constructionis permutationem hoc esse putemus et Thucydidem μέλλοντας et ἔχοντας scribentem fuisse opinatum, enunciationem antecedentem se ita constituisse, ut Graeci ejus subjectum essent et ad id participia μέλλοντας et ἔχοντας retulisse.

Cap. XI. „δῆλον δέ· τὸ γὰρ ἔρυμα τῷ στρατοπέδῳ οὐκ ἂν ἐτειχίσαντο."

Supplenda esse εἰ μὴ μάχῃ ἐκράτησαν plurimi interpretes contendunt. Quibus subauditis haecce verba plerumque sic vertunt: *nam* (si hoc non ita factum esset) *vallum* (ad castra tutanda) *exstruere non po-*

tuissent; et negari non licet, hunc sensum a nostri loci constructione non valde abhorrere. Sed nonnullae causae illorum interpretum sententiam refellere mihi videntur. Iis, quae ab aliis viris doctis (cf. Mehlhorn in Jahn. Annal. phil. IX, 4. p. 403 sqq.) contra eam jam monita sunt et iis, quae Poppo suis ad nostrum locum in notis adjunxit, ea, quae ego hoc de loco sentiam, addere liceat.

Primo enim *verba μάχῃ ἐκράτησαν* a Thucydide data tantum occasione et velut in transcursu esse scripta putaverim, quippe quae nihil valeant ad suum consilium, nempe ut probaret ex ratione tum belli gerendi Graecorum, quantopere bellum Trojanum Peloponnesiaco superetur. Quare Thucydidem argumento aliquo fulcire voluisse, Graecos *μάχῃ* tum *κρατῆσαι*, non verisimile est. Tum vero argumento non indigeret haec res, quum, ut apparet, fama tradita in nullam dubitationem vocari potuisset. Denique ex eo, quod Graeci ante Trojam murum struxissent, nullo modo concludi potuisse apparet, Graecos antea *μάχῃ κρατῆσαι.* Quid enim? Si Trojani non ausi fuissent, Graecos, qui multitudine aliquantum superantes classem ad Asiam appulerint, invadere? Propter has causas verbis *δῆλον δὲ — ἐτειχίσαντο* sequentia, non antecedentia, probat Thucydides, et loci sensus hic est: *munitionem non exstruxissent, nisi ad commeatum parandum exercitum dividere coacti fuissent.* Enunciatio ergo nostra interclusio est atque argumentum sententiae, quae eo confirmari debet, praecedit, quam Thucydides in scribenda haece parenthesi jam in animo habebat; ideo autem, quod haec sententia a vulgari discreparet,

argumentum, quo fulciatur, non sine consilio praemittit. Maximam cum nostris habent affinitatem Thucydidis verba lib. I. c. 31 *οἱ Κερκυραῖοι ἐφοβοῦντο καὶ, ἦσαν γὰρ οὐδενὸς Ἑλλήνων ἔνσπονδοι, ἔδοξεν αὐτοῖς κ. τ. λ.* Et quod fortasse mihi aliquis objiciet, Graecos quidem saepissime enunciationem causalem cum *γὰρ* praemittere notum esse, sed ubique certe vocabulis *καί, ἀλλά, οἱ δέ,* similibus sententiam deinde demonstrandam jam inchoari, id regulam esse certam nego. *Grave sane argumentum verbis φαίνονται οὐδ' ἐνταῦθα πάσῃ τῇ δυνάμει χρησάμενοι erat hoc ἔρυμα,* quod indicium est, Graecos sine tali munimento se non satis magnis viribus instructos habuisse; quod prae omnibus maxime argumento indigebat, quia ea est sententia, in qua quaestio principalis vertatur. Narrat quidem fama urbes expugnasse Achillem, quod tamen, etsi hominum sermone posteritati proditum erat, tam parvi aestimandum videtur, ut breves tantum belli dilationes appareant; atque partem Graecorum in Chersoneso agriculturae fuisse deditam nihil nisi Thucydidis esse conjecturam putaverim, quia a fama aetatem Homericam magno splendore exornare studente justo magis abhorret.

> Cap. XI. *„ἀλλὰ δι' ἀχρηματίαν τά τε πρὸ τούτων ἀσθενῆ ἦν, καὶ αὐτά γε δὴ ταῦτα ὀνομαστότατα τῶν πρὶν γενόμενα δηλοῦται τοῖς ἔργοις ὑποδεέστερα ὄντα τῆς φήμης καὶ τοῦ νῦν περὶ αὐτῶν διὰ τοὺς ποιητὰς λόγου κατεσχηκότος."*

Hic locus totam nostram primae capitis X enunciationis explicationem repudiare videtur. Namque in fine totius

argumentationis his verbis ad illam enunciationem, disquisitionis initium, inesse relationem apparet, qua effici aliquis dixerit, Thucydidem non *ἀπιστίαν illam ipsam*, de qua supra sermo fuit, *sed ejus argumentum tantum repudiasse.* Idem enim illud, quod supra *τοῦ ἀπιστεῖν* summam esse dixit *μὴ γενέσθαι τὸν στόλον τοσοῦτον, ὅσον οἵ τε ποιηταὶ εἰρήκασι καὶ ὁ λόγος κατέχει*, id hoc loco, in capitis XI fine, totius argumentationis summam, idque ad illa verba spectans, ponere videtur. Quia tamen hujusmodi supra explicati loci sententia e causis non bene refutandis repudiata est, nunc quaeritur, qua via difficultates, quae nobis hoc loco obveniunt, vincamus? —

Intuentibus nobis propius haec verba dubitatio nulla inesse potest, quin totius argumentationis ejusque partis praesertim secundae summam contineant. Quem vero finem habebat argumentatio illa? Num forte probare studebat, bellum Trojanum minus grave fuisse, quam fama prodiderit? Minime; hoc obiter tantum memoratum erat, atque tota argumentatio aderat, ut appareret, bellum Trojanum etiam secundum ea, quae Homerus atque fama de eo dicerent, multo minoris momenti quam bellum Peloponnesiacum fuisse; quod igitur et hoc loco Thucydidem totius argumentationis summam pronuntiare oportuit. Nihil tandem nobis restat, quam ut sumamus, pro una sententia alteram Thucydidis animo se supposuisse. Quae tamen res, cum jam per se lubrica atque semper in summum discrimen et periculum vocanda sit, maximo jure hic inquirendum videtur, quomodo Thucydidi pro ea sententia, quam ipse pro rata habebat, altera, quam repudiare studebat, se suppo-

nere potuerit. Hancce viam, qua nos e difficultate expediamus, Thucydides ipse nobis ostendit interjecta illa enunciatione cap. X: ἣν εἰκὸς ἐπὶ τὸ μεῖζον μὲν ποιητὴν ὄντα κοσμῆσαι, ubi igitur Homerum exornasse atque nimis auxisse rem, quamvis non tantum, quantum illi belli Trojani obtrectatores contenderent, ipse concedit. Secundum hancce sententiam Thucydidis praemissam finis cap. XI explicandus est; equidem non video, quae alia via ingredienda sit.

Cap. XII „καὶ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος ἔστιν ἃ χωρία."

Poppo in nota ad hunc locum dicit, hisce verbis oram Acarnanicam atque Adriaticam ibique Ambraciam, Anactorium, Corcyram, Leucadem, Corinthiorum colonias significari. Cf. Schol. Sed valde in dubio mihi versatur, num Thucydides omnes hujus generis colonias nomine Ἑλλὰς comprehendere potuerit. Equidem praetulerim haec verba esse subjectum dicere, quod juxta aliud subjectum, Πελοποννήσιοι, positum sit idque referre ad eas urbes et insulas Helladis, quae in Siciliam colonias miserant, ad Chalcidem, Rhodum, Cretam, Megara, alias.

Cap. XIII „πρῶτον τῆς Ἑλλάδος"

Quamquam hic genitivus apud πρῶτον valde nos offendit, nemo tamen interpretum eo nos attentos fecit. Jam quidem genitivus saepissime apud superlativum nobis obvenit; tum vero tantum, cum superlativus adjective ad nomen substantivum relatus sit, ut paullo post

ναυμαχία τε παλαιτάτη ὧν ἴσμεν. Et si paullo ante ἐγγύτατα τοῦ νῦν τρόπου legimus, genitivus τρόπου non pendet e superlativo ἐγγύτατα, sed e notione adjectivi ἐγγύς. Nec igitur me offendere potuisset, s Thucydides scripsisset οἱ Κορίνθιοι πρῶτοι τῶν Ἑλλήνων ναυπηγήσασθαι λέγονται. Attamen similia non nunquam occurrunt, de quidus cf. Matth. G. p. 857 §. 459 not.

Cap. XVII „οἱ γαρ ἐν Σικελίᾳ ἐπὶ πλεῖστο ἐχώρησαν δυνάμεως."

Hoc γὰρ multifarie declaratum est. Schol., qu ante haec verba supplendam esse dicit brevem sententiam, hanc fere, *non loquor tamen hic*, s. *excipi tamen Siciliae tyrannos, hi enim* etc., nunquam assentiam, quia haud libentissime verba suppleo neque Thucydides hunc sensum exhibere voluit. Nec magis i probandum est, quod Mehlhornius (Ann. Jahn. phil. I 4. p. 405) proposuit, qui superlativum propria notion ut quasi fastigium seu limitem, quem potentia omniu horum tyrannorum non excesserit, significet, accipiendum esse dicit, ut sententia sit: *namque eo usque, q Siciliae tyrannorum, reliquorum potentia non progres est.* Sed Thucydides eo non dicere vult, reliquos tyrannos potentes non esse factos. Cf. ad nostrum l cum Poppo, qui cum Schol. consentit. Maxime la danda ea foret sententia, qua γὰρ cum sequentib verbis id indicaret, quamobrem Thucydides proxime a tea nonnullos tyrannos, qui aliis potentiores facti ess excepisset. Attamen huic etiam sententiae obstat v

cabulum ἑκάστοις. Ex quibus causis Thucydidem id dicere voluisse acceperim: *tyranni* ἔργα ἀξιόλογα, *iis exceptis, quae a singulo quoque contra vicinos gesta sunt, non perfecerunt, ideoque potentiam extensam sibi acquirere non potuerunt; nam Siciliae tyranni prae reliquis longissime potentiam suam amplificarunt, eosque nihilominus loca tantum circumjacentia imperio tenuisse notum est.*

Cap. XXX „Τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα εὗρον, χαλεπὰ ὄντα παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ πιστεῦσαι."

Variis sane modis huc usque ab interpretibus haec verba explanantur. Equidem diligenter perscrutando sensum ex iis hausi, quem esse rectissimum mihi persuasum habeo. Itaque cum deinde Popponem et Goellerum idem fere mecum sensisse viderem valde laetatus eram. Quamobrem non indignum videbitur, quoniam non prorsus mecum consentiunt et mea sententia inservit, ut illorum dicta magis illustrentur, si virorum doctorum judicio interpretationem meam tradam.

Haec verba, quibuscum post digressionem non brevem sequentis capitis initium cohaerere cuique apparet, multas variasque emendationes, conjecturas, explicationes procreaverunt, quarum tamen nulla plane mihi satisfecit. Sed hic enumerare eas singulasque refellere longum est; in mea autem enarratione, occasione oblata, quaedam ex iis attingam. In hac enunciatione plurimi τοιαῦτα ita intelligere videntur, ut arcte cum χαλεπὰ ὄντα cohaereat, et ut eo magis definia-

tur. Sed quod attinet ad initium sequentis capitis, hic etiam τοιαῦτα nobis occurrit; atque ubi nobiscum reputamus, omnia, quae narrata sunt, videlicet verba οἱ γὰρ ἄνθρωποι usque ad capitis finem, orationis esse digressionem, facere non possumus, quin τοιαῦτα cap. 21 ad τοιαῦτα cap. 20 revocemus, atque utroque loco vocabulum eundem sensum exprimere putemus. Secundum autem locum sic intelligendum esse omnes consentiunt: *wer sich aber demnach den aufgestellten beweisgründen zufolge das, was ich behandelt habe* (nämlich die alten zustände) *so beschaffen denkt* (wie sie von mir auseinandergesetzt sind), *der möchte nicht fehl gehn.* Si nunc eadem significatione τοιαῦτα cap. 20 reperimus, sententiam optimam et clarissimam habemus. Thucydides enim nunc ipsum antiquarum Graeciae rerum expositionem finiit, ad quas τοιαῦτα respicit; neque idem τοιαῦτα cap. 21, quod hic quoque ad illas res referendum est, tam nudum, ut ita dicam, usurpare potuit, nisi jam eodem sensu initio cap. 20 hoc τοιαῦτα usus fuisset, ubi, nulla re interposita, ad priora relatum facilius intelligitur. Verto igitur initium cap. 20 hac ratione: *die alten zustände fand ich demnach so beschaffen* (wie ich sie dargestellt habe). Verba χαλεπὰ ὄντα non tam arcte cum παλαιὰ τοιαῦτα conjungo, sed participii constructionem cum antecedentibus laxius connexam habeo. Nunc vero animos attendamus ad verba per se: χαλεπὰ ὄντα παντὶ τεκμηρίῳ πιστεῦσαι. In hac dicendi ratione, qua χαλεπὰ ὄντα cum τὰ παλαιὰ compositum est, nostra lingua circuitu loquendi utitur: *es ist in bezug auf sie schwierig.* In verbis χαλεπὰ ὄντα —

πιστεῦσαι omnes fere nihil aliud vident, ac si Thucydides quereretur de fide incerta atque argumentis non sufficientibus, unde res temporum praeteritorum cognoscantur; atque ex horum interpretum sententia hoc loco a Thucydide exempla allata probare putantur, quantopere hominum ἀκρισία argumenta turbaverit. Primo vero dicendum est, ad hujusmodi sententiam Thucydidis exempla male spectare, quippe quae non loquantur de historiae rerum depravatione, sed de erroribus jam antea longe lateque diffusis, quos homines parum critica ratione adhibita pro veris habeant. Deinde bene admonendum est, Thucydidem hoc loco non de μαρτυρίοις, sed de τεκμηρίοις dicere, quoniam τεκμήριον usurpatur de causis internis, ut. cap. I; quae hujus nominis significatio hoc loco praecipue ea re a nobis retinenda est, quia eadem initio cap. 21, qui locus, ut supra demonstratum est, cum nostro congruit, tam clare intelligitur. Alii, ut Krügerus (Seebod. Bibl. crit. a. 1828. p. 8), hancce nominis τεκμήριον significationem animo tenent et pro παντί „πᾶν τι" scribentes ita interpretantur: *es ist in hinsicht auf jene alten zustände schwierig, in beziehung auf jeden punkt der reihe nach eine überzeugung zu fassen nach* (innern) *beweisgründen*, aut vulgarem lectionem servantes: *es ist in hinsicht auf sie schwierig, eine überzeugung zu fassen auf lauter der reihe nach aufgestellten beweisgründen.* Omnes tamen mecum consentient, has interpretationes duras atque contortas esse. Praeterea autem mihi monendum restat, his explicationibus exempla a Thucydide allata non accommodari posse. Verba παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ per se jam prima specie videntur spectare ad certam

quandam oculis propositam argumentorum internorum seriem, et initium cap. 20 considerantibus nobis sine dubio in mentem venit, respicere haec verba ad omnia argumenta, quibus Thucydides de rebus temporum praeteritorum judicium suum probavit, quae, cum argumentorum series hic finita sit, aptissime verbis παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ exprimi potuerunt. Jam vero verbis χαλεπὰ ὄντα relationem demus oportet, quam alii dare non solent. Semper enim opinantur interpretes, Thucydidi hoc fuisse difficile; qua re imprimis, ut mihi videtur, vera Thucydidis sententia eos fugit. Quod attinet ad initium cap. 21, Thucydides in mente hoc locó habuit libri sui lectores, ad quos etiam initium cap. 20 spectare mihi est persuasissimum. Itaque sententiarum nexus perspicuus est. Thucydides, quum de rebus antiquis judicia sua finiisset, in ea respiciens conscius sibi erat, lectores alienissimos a sua ratione historiam scribendi difficile eum intellecturos multisque rebus fidem abrogaturos esse. Scripserat enim, ut cuique nostrum, qui Thucydidem et ante eum historicos legit, apparet, cum libera arte vera a falsis dijudicandi. Aperte igitur dicit, quid sibi videatur: *die alten zustände fand ich demnach so beschaffen* (ut ea exposui), *in bezug auf welche es freilich schwierig ist, jedem von mir der reihe nach aufgestellten beweisgrunde glauben zu schenken; denn die menschen sind es zu wenig gewohnt, bei dem, was ihnen als historisch überliefert wird, gründlich prüfend zu verfahren; selbst wo dies so nahe liegt, versäumen sie es* (quod exemplis probat) *und wenden sich lieber zu dem, was in der sage fertig daliegt. Doch aber* (sic enim cap. 21 optime antecedenti congruit)

möchte der nicht irren, der, den aufgestellten beweisgründen zufolge, sich von dem, was ich behandelt habe, eine solche meinung bildet (wie die von mir oben entwickelte), *und weder lieber so glaubt, wie die dichter darüber gesungsn haben* etc.

VITA.

Natus sum Zorgae, ad silvam Hercyniam in ducatu Brunsvicensi sitae, anno hujus saeculi duodecimo, patre Guilielmo Hausdörffer, matre ex gente Hühniana prognata. Cum autem pater, qui munere metatoris metallici (Markscheider) fungebatur, ad idem munus suscipiendum Hüttenrodam vocatus sit, ibi primam ac teneram aetatem egi, et deinde a decimo aetatis anno gymnasio Blancoburgensi traditus sum, ubi in studiis liberalissimis et doctrinis mihi versanti pater praematura morte absumtus est, quod sane dolendum. Praeceptoribus, qui mentem meam excolere studebant, Müllero, gymnasii directori, Wiedemanno, Leopoldo, Berkhanio, Forkio, quantum eruditionis debeam et quam arctis amoris atque pietatis vinculis cum iis conjunctus fuerim hoc etiam loco fateri juvat. Anno aetatis decimo nono Brunsvigam, ut Collegii Carolini, quod ibi floret, in civium numerum reciperer, petii, ubi post eruditionis meae data specimina usus sum exquisita disciplina virorum gravissimorum Petrii, Dedekindi, Henkii, Schleiteri, Emperii. Quo in Collegio, optime comparato, postquam per annuum spatium vixi, anno MDCCCXXXII, quo Brunsvigae in examine ma-

turitatis, quod dicunt, satisfeci, in Universitate illa Georgia Augusta prorectore magnifico V. Cl. Conradio philologiae studiis me dedere exorsus sum. Hic deinceps scholis interfui VV. Cll. Car. Odofr. Mülleri: Taciti Germ. et Agric.; Thucydidis Histor.; Pindari Carm.; Persii et Juvenalis Sat.; Grammat. compar. linguae graec. et latinae; Mythologiae; Archaeologiae et artium ab antiquis populis cultarum historiae; Antiquitatum graec.; Artis trag. Graec. et Aesch. Choeph. V. Cl. Dahlmanno in scholis de Histor. German., Histor. antiqua et Histor. Francisci regni conversionis operam dabam. Nec non diligenter audiebam VV. Cll. Heeckii, cujus benignitatem atque humanitatem et ego expertus sum, scholas de Hist. antiqua et romana et de Antiquitatibus roman.; Heerenii de Geographia ac Ethnographia; VV. Cll. Jac. Grimmii scholas Germanicas et Lückii de Ethica christiana. Scholis philosophicis interfui V. Cl. Herbartii logicis et paedagogicis, atque Bohtzii psychologicis. Praeterea V. Cel. D. a Leutsch scholarum de Platonis Repbl. atque de Propertii Carm. frequens eram. Nec non sodalium societatis philologicae, cui praeest Car. Odofr. Müller, V. Cl., coetus mihi carissimi membrum fui.

THESES.

I.

Thucydides Deos ad res humanas non multum valere atque vim divinam ab hominum studiis secernendam esse judicavit.

II.

Thucydides in prooemio nonnulla historiae argumenta ita profert, ut antiquissima monumenta ac testimonia nimis ab eo neglecta esse appareat.

III.

Thucydides quemadmodum in iis, quae ante ejus tempora evenerant, vera dicere voluit et potuit, ita in bello Peloponnesiaco neque Atheniensium neque Peloponnesiorum cupidus est.

IV.

Herodotus parum critica ratione historiam tractavit.

V.

Jun. Juvenalis poëta satiricus ab A. Persio Flacco longe superatur.

VI.

In Helotes Spartani non tantam saevitiam adhibuerunt, quantam plurimi putant.

VII.

Pax ab Antalcida facta (Ol. 98, 2) magnum fuit Graeciae beneficium.



ναυμαχία τε παλαιτάτη ὧν ἴσμεν. Et si paullo ante *ἐγγύτατα τοῦ νῦν τρόπου* legimus, genitivus *τρόπου* non pendet e superlativo *ἐγγύτατα*, sed e notione adjectivi *ἐγγύς*. Nec igitur me offendere potuisset, si Thucydides scripsisset *οἱ Κορίνθιοι πρῶτοι τῶν Ἑλλήνων ναυπηγήσασθαι λέγονται.* Attamen similia nonnunquam occurrunt, de quidus cf. Matth. G. p. 857 §. 459 not.

Cap. XVII „*οἱ γαρ ἐν Συκελίᾳ ἐπὶ πλεῖστο ἐχώρησαν δυνάμεως.*"

Hoc *γάρ* multifarie declaratum est. Schol., qu ante haec verba supplendam esse dicit brevem sententiam, hanc fere, *non loquor tamen hic*, s. *excipi tamen Siciliae tyrannos, hi enim* etc., nunquam assentiam, quia haud libentissime verba suppleo neque Thucydides hunc sensum exhibere voluit. Nec magis i probandum est, quod Mehlhornius (Ann. Jahn. phil. I 4. p. 405) proposuit, qui superlativum propria notion ut quasi fastigium seu limitem, quem potentia omniu horum tyrannorum non excesserit, significet, accipien dum esse dicit, ut sententia sit: *namque eo usque, q Siciliae tyrannorum, reliquorum potentia non progres est.* Sed Thucydides eo non dicere vult, reliquos tyrannos potentes non esse factos. Cf. ad nostrum l cum Poppo, qui cum Schol. consentit. Maxime la danda ea foret sententia, qua *γάρ* cum sequentib verbis id indicaret, quamobrem Thucydides proxime a tea nonnullos tyrannos, qui aliis potentiores facti ess excepisset. Attamen huic etiam sententiae obstat v

cabulum ἑκάστοις. Ex quibus causis Thucydidem id dicere voluisse acceperim: *tyranni* ἔργα ἀξιόλογα, *iis exceptis, quae a singulo quoque contra vicinos gesta sunt, non perfecerunt, ideoque potentiam extensam sibi acquirere non potuerunt; nam Siciliae tyranni prae reliquis longissime potentiam suam amplificarunt, eosque nihilominus loca tantum circumjacentia imperio tenuisse notum est.*

Cap. XXX. „Τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα εὗρον, χαλεπὰ ὄντα παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ πιστεῦσαι."

Variis sane modis huc usque ab interpretibus haec verba explanantur. Equidem diligenter perscrutando sensum ex iis hausi, quem esse rectissimum mihi persuasum habeo. Itaque cum deinde Popponem et Goellerum idem fere mecum sensisse viderem valde laetatus eram. Quamobrem non indignum videbitur, quoniam non prorsus mecum consentiunt et mea sententia inservit, ut illorum dicta magis illustrentur, si virorum doctorum judicio interpretationem meam tradam.

Haec verba, quibuscum post digressionem non brevem sequentis capitis initium cohaerere cuique apparet, multas variasque emendationes, conjecturas, explicationes procreaverunt, quarum tamen nulla plane mihi satisfecit. Sed hic enumerare eas singulasque refellere longum est; in mea autem enarratione, occasione oblata, quaedam ex iis attingam. In hac enunciatione plurimi τοιαῦτα ita intelligere videntur, ut arcte cum χαλεπὰ ὄντα cohaereat, et ut eo magis definia-

tur. Sed quod attinet ad initium sequentis capitis, hic etiam *τοιαῦτα* nobis occurrit; atque ubi nobiscum reputamus, omnia, quae narrata sunt, videlicet verba *οἱ γὰρ ἄνθρωποι* usque ad capitis finem, orationis esse digressionem, facere non possumus, quin *τοιαῦτα* cap. 21 ad *τοιαῦτα* cap. 20 revocemus, atque utroque loco vocabulum eundem sensum exprimere putemus. Secundum autem locum sic intelligendum esse omnes consentiunt: *wer sich aber demnach den aufgestellten beweisgründen zufolge das, was ich behandelt habe* (nämlich die alten zustände) *so beschaffen denkt* (wie sie von mir auseinandergesetzt sind), *der möchte nicht fehl gehn.* Si nunc eadem significatione *τοιαῦτα* cap. 20 reperimus, sententiam optimam et clarissimam habemus. Thucydides enim nunc ipsum antiquarum Graeciae rerum expositionem finiit, ad quas *τοιαῦτα* respicit; neque idem *τοιαῦτα* cap. 21, quod hic quoque ad illas res referendum est, tam nudum, ut ita dicam, usurpare potuit, nisi jam eodem sensu initio cap. 20 hoc *τοιαῦτα* usus fuisset, ubi, nulla re interposita, ad priora relatum facilius intelligitur. Verto igitur initium cap. 20 hac ratione: *die alten zustände fand ich demnach so beschaffen* (wie ich sie dargestellt habe). Verba *χαλεπὰ ὄντα* non tam arcte cum *παλαιὰ τοιαῦτα* conjungo, sed participii constructionem cum antecedentibus laxius connexam habeo. Nunc vero animos attendamus ad verba per se: *χαλεπὰ ὄντα παντὶ τεκμηρίῳ πιστεῦσαι.* In hac dicendi ratione, qua *χαλεπὰ ὄντα* cum *τὰ παλαιὰ* compositum est, nostra lingua circuitu loquendi utitur: *es ist in bezug auf sie schwierig.* In verbis *χαλεπὰ ὄντα* —

πιστεῦσαι omnes fere nihil aliud vident, ac si Thucydides quereretur de fide incerta atque argumentis non sufficientibus, unde res temporum praeteritorum cognoscantur; atque ex horum interpretum sententia hoc loco a Thucydide exempla allata probare putantur, quantopere hominum ἀκρισία argumenta turbaverit. Primo vero dicendum est, ad hujusmodi sententiam Thucydidis exempla male spectare, quippe quae non loquantur de historiae rerum depravatione, sed de erroribus jam antea longe lateque diffusis, quos homines parum critica ratione adhibita pro veris habeant. Deinde bene admonendum est, Thucydidem hoc loco non de μαρτυρίοις, sed de τεκμηρίοις dicere, quoniam τεκμήριον usurpatur de causis internis, ut. cap. I; quae hujus nominis significatio hoc loco praecipue ea re a nobis retinenda est, quia eadem initio cap. 21, qui locus, ut supra demonstratum est, cum nostro congruit, tam clare intelligitur. Alii, ut Krügerus (Seebod. Bibl. crit. a. 1828. p. 8), hancce nominis τεκμήριον significationem animo tenent et pro π α ν τ ί „π ᾶ ν τ ι" scribentes ita interpretantur: *es ist in hinsicht auf jene alten zustände schwierig, in beziehung auf jeden punkt der reihe nach eine überzeugung zu fassen nach* (innern) *beweisgründen*, aut vulgarem lectionem servantes: *es ist in hinsicht auf sie schwierig, eine überzeugung zu fassen auf lauter der reihe nach aufgestellten beweisgründen.* Omnes tamen mecum consentient, has interpretationes duras atque contortas esse. Praeterea autem mihi monendum restat, his explicationibus exempla a Thucydide allata non accommodari posse. Verba παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ per se jam prima specie videntur spectare ad certam

quandam oculis propositam argumentorum internorum seriem, et initium cap. 20 considerantibus nobis *sine* dubio in mentem venit, respicere haec verba ad omnia argumenta, quibus Thucydides de rebus temporum praeteritorum judicium suum probavit, quae, cum argumentorum series hic finita sit, aptissime verbis *παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ* exprimi potuerunt. Jam vero verbis *χαλεπὰ ὄντα* relationem demus oportet, quam alii dare non solent. Semper enim opinantur interpretes, Thucydidi hoc fuisse difficile; qua re imprimis, ut mihi videtur, vera Thucydidis sententia eos fugit. Quod attinet ad initium cap. 21, Thucydides in mente hoc locó habuit libri sui lectores, ad quos etiam initium cap. 20 spectare mihi est persuasissimum. Itaque sententiarum nexus perspicuus est. Thucydides, quum de rebus antiquis judicia sua finiisset, in ea respiciens conscius sibi erat, lectores alienissimos a sua ratione historiam scribendi difficile eum intellecturos multisque rebus fidem abrogaturos esse. Scripserat enim, ut cuique nostrum, qui Thucydidem et ante eum historicos legit, apparet, cum libera arte vera a falsis dijudicandi. Aperte igitur dicit, quid sibi videatur: *die alten zustände fand ich demnach so beschaffen* (ut ea exposui), *in bezug auf welche es freilich schwierig ist, jedem von mir der reihe nach aufgestellten beweisgrunde glauben zu schenken;* denn *die menschen sind es zu wenig gewohnt, bei dem, was ihnen als historisch überliefert wird, gründlich prüfend zu verfahren; selbst wo dies so nahe liegt, versäumen sie es* (quod exemplis probat) *und wenden sich lieber zu dem, was in der sage fertig daliegt. Doch aber* (sic enim cap. 21 optime antecedenti congruit)

möchte der nicht irren, der, den aufgestellten beweisgründen zufolge, sich von dem, was ich behandelt habe, eine solche meinung bildet (wie die von mir oben entwickelte), *und weder lieber so glaubt, wie die dichter darüber gesungsn haben* etc.

VITA.

Natus sum Zorgae, ad silvam Hercyniam in ducatu Brunsvicensi sitae, anno hujus saeculi duodecimo, patre Guilielmo Hausdörffer, matre ex gente Hühniana prognata. Cum autem pater, qui munere metatoris metallici (Markscheider) fungebatur, ad idem munus suscipiendum Hüttenrodam vocatus sit, ibi primam ac teneram aetatem egi, et deinde a decimo aetatis anno gymnasio Blancoburgensi traditus sum, ubi in studiis liberalissimis et doctrinis mihi versanti pater praematura morte absumtus est, quod sane dolendum. Praeceptoribus, qui mentem meam excolere studebant, Müllero, gymnasii directori, Wiedemanno, Leopoldo, Berkhanio, Forkio, quantum eruditionis debeam et quam arctis amoris atque pietatis vinculis cum iis conjunctus fuerim hoc etiam loco fateri juvat. Anno aetatis decimo nono Brunsvigam, ut Collegii Carolini, quod ibi floret, in civium numerum reciperer, petii, ubi post eruditionis meae data specimina usus sum exquisita disciplina virorum gravissimorum Petrii, Dedekindi, Henkii, Schleiteri, Emperii. Quo in Collegio, optime comparato, postquam per annuum spatium vixi, anno MDCCCXXXII, quo Brunsvigae in examine ma-

turitatis, quod dicunt, satisfeci, in Universitate illa Georgia Augusta prorectore magnifico V. Cl. Conradio philologiae studiis me dedere exorsus sum. Hic deinceps scholis interfui VV. Cll. Car. Odofr. Mülleri: Taciti Germ. et Agric.; Thucydidis Histor.; Pindari Carm.; Persii et Juvenalis Sat.; Grammat. compar. linguae graec. et latinae; Mythologiae; Archaeologiae et artium ab antiquis populis cultarum historiae; Antiquitatum graec.; Artis trag. Graec. et Aesch. Choeph. V. Cl. Dahlmanno in scholis de Histor. German., Histor. antiqua et Histor. Francisci regni conversionis operam dabam. Nec non diligenter audiebam VV. Cll. Hoeckii, cujus benignitatem atque humanitatem et ego expertus sum, scholas de Hist. antiqua et romana et de Antiquitatibus roman.; Heerenii de Geographia ac Ethnographia; VV. Cll. Jac. Grimmii scholas Germanicas et Lückii de Ethica christiana. Scholis philosophicis interfui V. Cl. Herbartii logicis et paedagogicis, atque Bohtzii psychologicis. Praeterea V. Cel. D. a Leutsch scholarum de Platonis Repbl. atque de Propertii Carm. frequens eram. Nec non sodalium societatis philologicae, cui praeest Car. Odofr. Müller, V. Cl., coetus mihi carissimi membrum fui.

THESES.

I.

Thucydides Deos ad res humanas non multum valere atque vim divinam ab hominum studiis secernendam esse judicavit.

II.

Thucydides in prooemio nonnulla historiae argumenta ita profert, ut antiquissima monumenta ac testimonia nimis ab eo neglecta esse appareat.

III.

Thucydides quemadmodum in iis, quae ante ejus temporu evenerant, vera dicere voluit et potuit, ita in bello Peloponnesiaco neque Atheniensium neque Peloponnesiorum cupidus est.

IV.

Herodotus parum critica ratione historiam tractavit.

V.

Jun. Juvenalis poëta satiricus ab A. Persio Flacco longe superatur.

VI.

In Helotes Spartani non tantam saevitiam adhibuerunt, quantam plurimi putant.

VII.

Pax ab Antalcida facta (Ol. 98, 2) magnum fuit Graeciae beneficium.



